

Kreis Paderborn

5.91

1297 April 22 [X kal. Maii] Rom.

[12]

Papst Bonifaz VIII beauftragt die Dechanten am Stift zu Aschaffenburg, am Dom zu Mainz und den Scholastikus an St. Johann zu Mainz im Falle der Weigerung des Bischofs Otto von Paderborn mit der Absolvierung der Bürger zu Paderborn von den über sie verhängten Zensuren.

Bonifacius episcopus servus servorum Dei dilectis filiis . . . Aschafeneburgen. Maguntin. diocesis et . . . maioris decanis ac . . . scolastico sancti Johannis Maguntin. salutem et apostolicam benedictionem. Sua nobis Hermannus dictus Deckener, Gotfridus dictus Poust, Johannes de Scerve, Hermannus de Hobragtescen, Johannes de Kerichtorp, Ebertus dictus Top, Conradus de Rivo, Hermannus Erenfridi, Volmarus de Euenhus (!), Henricus de Stadelhoph, Hermannus de Stenhem, Albero Hysseri, Conradus de Campo, Conradus dictus (Orig. dickus) Eyndehaig cives Padeburnenses et universitas civitatis Padeburnensis petitione monstrarunt, quod venerabilis frater noster Otto episcopus Padeburnensis in eosdem cives,

tunc consules civitatis predictae excommunicationis et universitatem eandem interdicti sententias nulla competentis monitione premissa sine causa rationabili promulgavit contra statuta concilii generalis. Unde eidem episcopo nostris damus literis in mandatis, ut si est ita, sententias iuxta formam ecclesie infra octo dies post receptionem earum sine qualibet difficultate relaxet easdem. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus si dictus episcopus mandatum nostrum infra prescriptum tempus neglexerit adimplere, vos extunc a civibus et universitate predictis super hiis, pro quibus in cives eosdem excommunicationis et universitatem predictam interdicti sententiae huiusmodi sunt prelate, sufficienti cautione recepta, sententias iuxta formam ecclesie relaxetis easdem et iniuncto eis, quod de iure fuerit iniungendum, audiatis, si quid fuerit questionis et appellatione remota sine debito decidatis facientes, quod devreveritis auctoritate nostra, firmiter observari; proviso, ut si pro manifesta offensa dicte sententiae sint prelate, nisi prius ab eisdem civibus et universitate sufficiens prestetur emenda, nullatenus relaxetur et ne aliquis auctoritate presencium extra Moguntin. et Padeburnen. civitates et dioceses ad iudicium evocetur nec procedatur in aliquo contra eum. Testes autem, qui fuerint nominati, si se gratia, odio vel timore subtraxerint, per censuram ecclesiasticam appellatione cessante cogatis veritati testimonium perhibere. Quod si non omnes hiis exequendis potueritis interesse, duo vestrum ea nichilominus exequantur.

Datum Rome apud sanctum Petrum X kal. Maii pontificatus nostri anno tertio.

Unten rechts auf dem Umbug M. de Adr. In dorso: Paulus Novarien; oben rechts in der Ecke 2. einmal durchstrichen.